



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XVII. An Moniali concedi possit egressus ob morbum quantumvis periculosum, si contagiosus non est? Vbi etiam de aliis vrgentiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

synarum non est perpetuum, sed est temporale, donec durat necessitas.

8 Non possunt admitti, & recipi ad professionem plures conuersa, quam sint necessaria ad petendas elemosynas pro Monasterio; secus tamen seruatur in praxi.

1 R Espondetur, de hac re extat Motus proprius Pij V. incipiens, *Circa Pastoralis*, ubi Pontifex, quando Monialibus deest victus necessarius, & commode per alios elemosynas illa petere non possunt, statuit, vt elemosynae per conuersas non professas petantur, & si professae fuerint, sint annorum 40. & in domibus contiguas extra Monasterium degant, nec aliarum Monialium clausuram ingrediantur, nisi in casibus ex ipsarum Constitutionibus permisis, nec ex iis domibus exire valeant ad petendas elemosynas absque Ordinarij, vel ipsarum Superioris licentia, Quem Motum Pij V. declarauit postea 1572. Gregorius XIII. in Motu proprio *Deo sacris virginibus*, ibi: *Ceterum quod attinet ad conuersas professas, quas Pius V. per praedictas literas sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra Monasteria pro colligendis elemosynis, eisdem locorum Ordinariis iniungimus, vt quibus Monasteriis praedictarum Monialium, quotidianis laboribus computatis, vel alia qualibet ratione, de sufficienti subuentione, & de sustentatione sufficiens prouisum esse cognouerint, easdem conuersas sub eadem clausura cum aliis Monialibus reducant, nec e suis Monasteriis amplius exire permittant.* Et Zecchius de Republica Ecclesiastica, tit. de Regularib. cap. 3. num. 15. refert S. Cardinalium Congregationem declarasse anno 1573. ad petendas has elemosynas, non plures conuersas, quam octo, mittendas esse, quae binae incedant, nec disjungantur, & sint vitae probatae, excedentesque annos 39. nec pernoctent extra Vrbes, ubi Monasteria habent, nisi de Episcopi licentia, & tunc simul dormiant. Vnde constat Gregorium XIII. in dicto suo Motu hanc facultatem fustulisse, cessante praedicta necessitate, non autem ea durante. Lezana tom. 1. cap. 25. num. 17. Gauantus in *Mm. Episc. verb. Monialium clausura*, num. 18. & segg. Rodriguez tom. 1. quast. 44. art. 4. & Nauarr. comment. 4. num. 56. qui

4 Subdit primo, quod dum Pius V. in suo Motu prohibet conuersis professis exitum ex domibus illis contiguas ad petendas elemosynas absque Ordinarij licentia, non prohibeat exitum ad audienda sacra, & percipienda sacramenta, quia Pontifex de solo priori exitu loquitur.

5 Subdit secundo, quod ea domus contigua non sint domus regulares, quia sunt extra Monasterij clausuram: quare si inde egrediantur, etiam ad inhonesta perpetranda, non peccant peccato contra clausuram, sicuti dicebam dubi. 4. in fine.

6 Subdit tertio lib. 2. consil. 16. num. 2. de Regularib. (quidquid dubitauerit cit. Comment. 4. num. 54.) quod dum Gregorius XIII. in Motu suo volens exitum harum conuersarum ad petendas elemosynas impedire, subueniendo aliter praedictae Monasteriorum necessitati praecipiat, vt dimidium omnium elemosynarum a quibuscumque ubicumque terrarum, quacumque lege, dispositione, vel obligatione pauperibus faciendarum, detur Monialium Monasteriis praedicta necessitate pressis, quae sunt in locis, in quibus illae erogandae sunt; idque sine alio peculiari iussu Pontificis, vel alterius, & sine ulla petitione Monialium, vel quorumcunque aliorum, dummodo duplex conditio concurret: vna ne illae elemosynae sint in pauperes certos erogandae. Altera, vt licet pauperibus incertis erogandae sint, non tamen sint ad vsum alios,

praeferquam ad pauperum sustentationem destinatae. Ita vt dimidia haec elemosynarum pars debeat Monialibus, quoties vel pauperibus incertis, & ad vsum incertos elemosynae sunt destinatae, vel quando sunt destinatae pauperibus incertis ad eorum alimenta; non debeat autem quando pauperibus certis sunt destinatae, vel quando incertis, ad vsum tamen certos ab ipsorum alimentis distinctos, quia sic aperte disponit Gregorius XIII. in dicto suo Motu, *Deo sacris virginibus*.

7 Subdit quarto cit. Comment. 4. num. 55. quod tale Gregorius XIII. praecipit sit perpetuum, sed temporale, dum scilicet praedicta Monialium necessitas durat, quia sic aperte etiam ait idem Gregorius XIII. in eodem dicto suo Motu, *Deo sacris virginibus*.

8 Ceterum Pius V. in suo Motu, *Circa Pastoralis*, prohibet in posterum receptionem conuersarum, etiam ad professionem emittendam, ibi: *De cetero, nulla alia conuersa professae recipi amplius, etiam de consensu suorum Superiorum possint. Quod si aduersus hanc nostram prohibitionem receptae fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, propterea ex nunc illam irritam facimus.* Quem Motum Pij V. sic explicat Gregorius XIII. in suo Motu, *Deo sacris virginibus*, ibi: *Conuersas vero non professas, & profuturi nolentes, dimisso habitu domum remittant; nec alias in futurum; nisi professionem sint suo tempore emissae, atque sub perpetua clausura in Monasterio huiusmodi recipi permittantur.* Quod autem idem Pius V. statuit de cetero nullas alias conuersas professas recipi amplius, etiam de consensu suorum Superiorum posse; ita esse intelligendum declaramus, praeter illas conuersas, quae extra Monasterium in domibus contiguas degerent. Ex quibus sequitur, quod ad habitum, & professionem deinceps solum possint recipi conuersae, quae necessariae sint ad petendas Monasterio elemosynas, & in domibus ei contiguas habitaturae; & non aliae. Quamuis consuetudine receptum nunc sit, vt & haec aliae admittantur, dummodo legitimam postea professionem emittant; & merito, quia decet, quod in Monialium Monasteriis, sicut & in Monasteriis virosum, quaedam admittantur ad Chorum, quaedam aliae ad ministeria inferiora; idque tum ob Communitatis bonum, tum vt feminae probae, sed dotem non habentes, adhuc Religionem ingredi possint, si non vt sint Choro deputatae, saltem vt sint conuersae, & inferuiant inferioribus Monasterio necessariis ministeriis: praesertim cum & istarum receptio nihil obstat clausurae; quam vterque Pontifex in vtroque Motu proprio maxime seruandam procurat. Vide quae dicebantur dub. 6. concl. 3. Suar. de Relig. lib. 1. cap. 8. num. 19. Nauarrum loco supra cit. numer. 56. & Rodrig. tom. 1. quast. 44. art. 4.

DVBITATIO XVII.

An Moniali concedi possit egressus ob morbum, quantumvis periculosum, si contagiosus non est? ubi etiam de aliis vrgentiis.

SUMMARIUM.

- 1 Moniali concedi non potest egressus ob morbum quantumvis periculosum, si contagiosus non sit, licet salus eiusdem desperetur.
- 2 Casus exceptus cum dictione taxativa admittit extensionem ad casus similes, vel vrgentiores; non autem ad casus dissimiles, & minus vrgentes.

S 4 Bonum

- 3 Bonum commune Religionis praeponderare debet bono privato cuiuscunque particularis Monialis.
- 4 Carthusiani satis probabiliter in suis infirmitatibus, etiam cum periculo vitae, ad abstinentiam ab esu carniū obstringuntur.
- 5 Moniali, si morbus non sit contagiosus, neque concedi potest licentia, ut se transferat ad Monasterium eiusdem Ordinis, cuius situs salubrior sit.
- 6 Lex Ecclesiastica non obligat cum periculo vitae, si non inuoluit aliquod bonum commune, secus autem si inuoluit.
- 7 Monialis, ne occidatur, potest egredi de clausura.
- 8 Monialibus cuiusdam Monasterij de facto concessit Gregorius XIII. liberum egressum, quotiescumque morbo periculoso laborarent.
- 9 Privilegium particulare non debet extendi ad generale.
- 10 Monialis morbo non contagioso, sed periculoso laborans, si sine Summi Pontificis dispensatiōe egredereur de clausura, peccaret, nec Prælatus inferior licentiam huiusmodi concedere potest.
- 11 Monialis potest de clausura egredi, si periculum vitae sibi cerò imminet ob graues molestias, & vexationes, quas iniuste patitur.
- 12 Monialis grauida effecta non potest exire, etiam ad saluandam famam, ut foris edat, sine legitima Summi Pontificis, vel alterius superioris licentia.
- 13 Monialis non potest sine legitima licentia Summi Pontificis egredi ad habendam curam nepotum, & omnium auxilio carentium.
- 14 Item neque ad habendam curam consanguineorum infirmorum.
- 15 Item ad succurrendum in extrema necessitate parentibus, vel filiis, etsi alij satis probabiliter contrarium sentiant.
- 16 Item neque ad visitandos parentes, consanguineos, vel alios infirmitatis causa, vel alio prætenu.
- 17 Item neque ad implendam aliquam conditionem impositam in legato ipsi Moniali relicto.

1 **R**esponderetur negativè, etiamsi adeò periculosus
sit, vt ea non egressa, desperetur eiuldem salus.
2 Probatur, quia licet casus exceptus cum dictione taxa-
tiua admittat forsan, vti supra dicebam, extensionem
ad casus similes, vel virgintiores, non tamen ex com-
muni sententia Doctorum admittit ad casus dissimiles,
vel minus virgentes, vt est in casu nostro, cum non
agatur de bono communi Monialium (ne scilicet con-
tagiosus morbus vnius cæteras inficiat) sed de bono
particulari vnius tantum Monialis. Confirmatur, quia
cum morbi non contagiosi sint frequentes (sue veri,
sue putatiui) in Monialibus, & in ipsis sit ardens desi-
derium egrediendi è Monasterio, & medici sint faciles
ad attestandum de gravitate morbi faciendam, aperi-
retur via, vt eis passim egressus concedatur, in maxi-
3 mum clausuræ propter commune Religionis bonum
statutæ detrimentum; cum ex alio capite bonum
4 commune Religionis præponderare debeat bono pri-
uato cuiuscumque particularis Monialis: quapropter
Carthusiani propter eandem rationem satis probabiliter
in suis infirmitatibus, etiam cum periculo vitæ,
ad abstinentiam ab usu carniū obstringuntur, & me-
rito, quia sicuti experientia testatur, rarissimè egres-
sus è clausura, sicut & usus carniū, sic ad pristinam
salutem recuperandam conducunt, vt inde pendeat,
tanquam ex causa necessaria, mortis periculi vi-
tatio.

Atque ita contra Nauarrum *comment. 3. n. 49. & 50. de Regul. Llamas in Append. §. 10. Azorium tom. 1. lib. 13. cap. 8. §. 1. ad fin. Graff. 1. part. decis. lib. 4. cap. 23. num. 17.*

Sorbum in amotar. ad Compend. Mendic. verb. Ingressus
Monasteriorum Monialium, num. 6. Dianam part. 3. tr. 2.
 refol. 105. Suar. de Relig. tom. 4. tract. 1. lib. 1. cap. 9. Peiri-
 num tom. 2. conf. 6. Pij V. \$. 4. num. 247. Marian Nou-
 rium apud Riccium in praxi, tom. 4. refol. 193. num. 3. ex
 probabiliori sententia Doctorum docent Gutierrez
 qq. canonic. lib. 1. cap. 14. n. 7. & seqq. Cened. collect. 1. 1.
 ad Sextum Decretal. num. 12. Zerola p. 1. verb. *Moniales*,
 in fin. (vbi testatur se declarasse S. Cardinalium Con-
 gregationem) Collector priuileg. Mendicant. verb. *Clausu-
 ra Monialium*, casu 5. Corduba in eius addition, ad
 fin. vers. Notandum, Granad. in part. 2. controu. tract. 3.
 part. 1. disp. 8. sect. 5. num. 13. Faustus in thesaur. Relig. lib. 6.
 q. 163. Miranda de Monialib. quast. 4. art. 4. Barbosa de
 potest. Episc. part. 3. allegat. 102. n. 20. Rodrig. qq. Regular.
 tom. 1. quast. 49. art. 3. Tamburini de iure Abbat. disp. 19.
 quast. 5. Lezana tom. 1. cap. 25. num. 20. & verb. *Clausu-
 ra*, num. 11. Bonacina de clausura, q. 2. punct. 9. Seortia
 epit. 94. theorem. 228. & Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 12.
 num. 1.

Quod intellige, etsi p̄tatur egressus ad aliud eiusdem Ordinis Monasterium, cuius tibi salubrior sit, quia adhuc in hoc egressu locum habet non publica omnium Monialium, sed priuata vnius tantum Monialis necessitas, & sic non est casus similis exceptis, sed leuior, & minus grauis.

Obiicies : lex Ecclesiastica non obligat cum peri-
culo vitæ.

Respondetur, distingo antecedens, si non inuoluit aliquod bonum commune, concedo; si inuoluit (vt in casu nostro de seruanda clausura, adeo ad spirituales Monialium salutem, perfectamque votorum Regularium obseruantiam, necessaria) nego: quapropter, vt dicebam, Carthusiensi laudabiliter, vt seruent statutum suum, se abstinere, etiam cum periculo vite, ab esu carnum, quod vtrumque eo magis verum est, quia nec ex egressu, nec ex esu carnum pendet certo mortis periculi vitatio, vt supra etiam dicebam.

Obiicies secundò, si quis velit Monialem occidere, 7
potest Monialis ad vitandum mortis periculum egredi-
di: ergo etiam in casu nostro. Consequentia probat-
ur, quia materialiter, & impertinenter se habet,
vtrum periculum imminet ab extrinseco, vel ab in-
trinseco, cum in vtroque casu tuendæ vitæ ius naturale
locum habeat.

Respondetur concedo antecedens; at nego consequentiam, quia primus casus est rarissimus, & sic non aperit viam ad causas egressus fingendas, clausuramque violandam; & præterea infert, vtpote ab extrinseco, certissimum periculum vitæ: at secundus casus est frequentissimus, & sic valde aperiret viam facilitati egrediendi, clausuramque violandi; & præterea infert, vtpote ab intrinseco, periculum vitæ, quod Moniali egressa non cessat, sed ipsam comitatur.

Obiit tertio: Gregorius XIII. teste Navarro, de
facto concessit cuiusdam Monasterij Monialibus libe-
rum egressum, quotiescumque morbo ita periculoso,
vt ad tuendam vitam egressus iudicio Medicorum fue-
rit necessarius, laborarent: ergo.

Respondetur : distinguo antecedens , concessit , de-
clarando , nego : concessit , peculiare privilegium im-
petiendi , concedo : quapropter ad alias personas ,
quàm ibi expressas extendi non potest , nec debet ,
lius singulare , ff. de legibus. Accedit , quod licet ea cen-
seatur causa , vt Papa in lege sua Ecclesiastica dispen-
set , non tamen sequitur , quod sit etiam iusta causa , vt
Prælati inferior contra legem Ecclesiasticam sui Su-
perioris egressum concedat ; & sic retorquetur argu-
mentum , siquidem potius ex his inferitur , dispensa-
tione

tionem Pontificis esse necessariam, & sine ista peccare mortaliter Moniales, quæ propter morbum lethalem, scilicet non contagiosum egredietur: Non nego tamen, quod si quis sententiam contrariam, vtpote non omnino improbabilem, secutus egrediendi in tali casu licentiam concesserit, excusari possit à pœnis. Vide Rodrig. tom. 1. q. 49. art. 5. in fine.

11 Ex dictis sequitur primò, quod possit Monialis è clausura egredi, si periculum vitæ sibi certò imminet ob graves molestias, & vexationes, quas iniuste patitur, & habere non potest Episcopum, vel superiorem, à quo subleuetur. Tamburin. de iure Albat. disp. 19. q. 5. ad 8. quia hoc est veluti ab extrinseco occidi.

12 Sequitur secundò, quod è contra non possit sine legitima Summi Pontificis, vel alterius Superioris licentia egredi, si grauida effecta velit ad saluandam famam exire, vt fœtum foris edat, & sic suum delictum absconsum retineat, nisi simul aliquin periculum vitæ sibi imminet. Tamburin. loc. supra cit. ad 12. & Lezana verb. Clausura, n. 1.

13 Sequitur tertio, quod multò minus possit sine legitima licentia Summi Pontificis egredi ad habendam curam nepotum, & omni auxilio carentium. S. Congregatio apud Armendariz in addit. ad recopilat. legum Nauaræ, lib. 2. tit. 18. lib. 7. de Relig. n. 105. apud Marzillam sess. 25. cap. 5. & apud Barbosa in collectan. Bullar. verb. Monialium clausura circa egressum.

14 Idemque dico de egressu ad habendam curam consanguineorum infirmorum. Tamburin. ibi supra, ad 13. & Bonacina cir. q. 1. punct. 9. n. 4. & 5.

15 Idemque dico de egressu ad succurrendum in extrema necessitate parentibus, vel filiis; etsi alij satis probabiliter contrarium sentiant; cum in tali casu quammaximè virgeat ius naturæ, & obligatio charitatis. Ad quod tamen fundamentum facile responderi potest ex dictis suprâ. Idemque multò magis dico de egressu ad parentes, consanguineos, vel alios infirmitatis causa, vel alio prætextu inuiscendos, idque tum ob dictam rationem, tum ob dictum Motum Pij V. ubi id expresse prohibetur, ibi: *Vi domorum, parentum, aliorumque consanguineorum visitandorum.*

16 Idemque etiam multò magis dico de egressu ad adimplendam aliquam conditionem impositam in legato ipsi Moniali relicto: quapropter declarauit S. Congregatio in vna Camerineni mensis Martij 1634. solui debere cuidam Moniali legatum 60. scutorum ei relictorum, etiamsi ratione sui status assilire non potuisset cuidam processionem cum veste alba, sicut legatum requirebat.

DVBITATIO XVIII.

An Moniali concedi possit egressus, si adeo incorrigibilis sit, vt in nullo Monasterio eius correctio speretur?

SUMMARY.

- 1 Moniali adeo incorrigibili, vt in nullo Monasterio eius correctio speretur, concedi non potest licentia egressus in consilio Summo Pontifice, licet in vigore iuris contrarium videatur.
- 2 Monialis incorrigibilis carceri potius, ne alias inficiat, tradi debet, quàm cum tanto scandalo, & præiudicio boni communis è Monasterio eici.

1 Respondetur, quod (quamvis in rigore iuris, ex cap. cum ad Monasterium, & cap. fin. de statu Mo-

nach, affirmandum videatur; cum eadem prorsus ratio, scilicet ne *Morbida facta pecus totum corrumpat ouile*, sit de religiosis fœminis, ac de viris; præsertim quia Moniales non magis ac viri votis Religionis adstringuntur, nec præcepto clausuræ ligantur, nisi quamdiu manent in Monasterio, sicuti & præcepto delationis habitus Religiosi omnes non ligantur, nisi quamdiu manent in Religione: & fauere videtur priuilegium quoddam Innocentij III. pro Cisterciensibus apud Hieronymum Rodrig. in compend. qq. regular. resol. 57. num. 3. tamen negandum sit (saltem in consilio Pontifice) vtpotè quid nouum, & inusitatum, atque adeo scandalum generans. Accedit, quod ansam Monialibus daret, vt se incorrigibiles fingant, ad hoc vt Monasterium deserant, in magnum præiudicium boni communis; & Moniales ex delicto suo commodum reportarent: quapropter potius in tali casu Monialis incorrigibilis, carceri (ne alias inficiat) includi deberet, quàm cum tanto scandalo, & præiudicio boni communis è Monasterio eici. Bonacina de clausura, q. 1. punct. 9. n. 14. Barbosa in Collectan. Doctor. in cap. ne Religiosi, & regularitate. Lezana tom. 1. cap. 25. n. 17. & verb. Clausura, n. 15. Gauant. in Man. Episcop. verb. Monialium clausura, n. 23. Ricciulus de iure personar. extra grem. Eccles. vagant. lib. 8. cap. 5. n. 8. idque ex altera Sacre Congregationis declaratione in vna Redonensi 1617. & altera 1630. ex Rotæ decisione in vna Vlyssiponenfi 1625.

DVBITATIO XIX.

An Moniali concedi possit egressus vt ad strictius Monasterium transeat.

SUMMARY.

- 1 Moniali concedi potest egressus, vt ad strictius Monasterium transeat, contra nonnullos Doctores asserentes id solum statutum esse pro viris, non pro fœminis.
- 2 Ad bonum commune Monialium spectat posse ad perfectiorem vitam transire.
- 3 Transitus ad arctiora Monasteria de iure antiquo concedebatur, nec per ius nouum apparet sublatum.
- 4 Textus in cap. licet, de Regularibus, quamvis de solis Religiosis viris loquatur, quoad rationes tamen aequè procedit in Monialibus, & sic in vtrisque eadem debet esse iuris dispositio.
- 5 Monialis potest seruatis seruandis transire de vna Religione ad aliam, & in Religione, ad quam transit, debet facere nouitium, & emittere professionem.
- 6 Textus in cap. unico, §. confirmatus, in fine, de Religiosis domibus in 6. loquitur de translatione locali, non personali.
- 7 Opinio Rodriguezi improbat.

Respondetur, quod (quamvis Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 8. q. 1. & alij negent, moti ex eo, quia cap. licet, de Regularib. ubi transitus ad Religionem strictiorem permittitur, loquitur solum de viris Religiosis, non item de fœminis; & quia cap. unico, in prin. ip. de statu Regular. in 6. Tridentinum sess. 25. de Regularib. cap. 4. & Bulla Pij V. incipiens: *Decoris, & honestati*, Monialibus permittunt exitum) tamen ob triplicem illam causam, epidemiam, lepram, & incendij, affirmandum sit; quia ad bonum commune Monialium spectat, posse ad perfectiorem vitam transire, nec præsumitur Pontifex velle Spiritui sancto ad perfectiorem